



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Angelus ad cognoscendum indigeat concursu objecti, &
speciebus Intentionalibus.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

neretur, moveretur successive, præcisè quia habet vim limitatam.

862. Obijciunt. 2. S. Thomam hic a. 2. in. C. Verùm S. Thomas solum asserit, Angelum posse moveri motu discreto, seu non continuo: potest autem motus discretus fieri non transiliendo medium, sed v. g. in primo instanti occupando totam hanc scholam, in secundo relinquendo simul totum hoc spatium, & occupando simul atrium proximum; in tertio relinquen-

do totum atrium, & occupando scholam proximam, qui motus vocatur discretus. & ita interpretantur S. Thomam communiter Recentiores. Nisi malis dicere, S. Thomam locutum esse de præsentia per operationem in corpus, quo sensu certum est posse Angelum transire in alium locum non transito medio, hoc est, potest operari in corpore B. distante à corpore

A, quin aliquid operetur in medio.



CAPVT III.

DE INTELLECTIONE ET SPECIE- BUS ANGELICIS.

CONTROVERSIA I.

*Virum Angelus ad cognoscendum indigeat concursu objecti,
& speciebus intentionalibus.*

863. **O**bjectum dicitur concurrere vel immediate, vel mediante Vicariâ speciei impressâ seu intentionalis, siue hæc sit producta ab ipso objecto, siue ab authore naturæ ad existentiam Angeli & objecti. Præcindendo nunc ab utroque modo concurrendi, quæritur an Angelus indigeat concursu objecti, sicut indiget intellectus humanus. Deinde supposito quòd indigeat, quæritur ulterius, an in casu quo non potest concurrere objectum immediate, indigeat speciebus intentionalibus.

Necessitatem concursus objectivi, negavit vniversim Vdalricus quidam, apud Cathusianum in 2. d. 3. q. 5. & Vasquez d. 201. cap. vlt. & d. 204. c. 2. & 3.

864. Dicendum est. 1. Concursum objectivum esse necessarium ad cognitionem Angelicam. Probant aliqui Conclusionem. Cognitio est imago objecti: atqui de ratione imaginis est, ut procedat à suo prototypo, ut tradit S. Augustinus, & est communiter receptum: & ideo cognitio divina non est imago objecti. Ergo cognitio Angelica indiget concursu objecti. Hoc tamen argumentum, si bene consideretur, seclusâ quæstione de nomine, supponit quod esset probandum. Minor quidem argumenti involvit quæstionem de nomine: virum cognitio divina non debeat dici *Imago*, eò quòd non procedat ab objectis quæ cognoscit. Dicamus ergo, non debere dici *Imaginem*, & sic concedent adversarij minorem argumenti, sed negabunt maiorem, quæ falsificatur in cognitione divina: vel si vis cognitionem divinam imaginem dicere, falsificabitur minor: ut ergo argumentum procederet,

Major propositio sic formanda esset: *Omnis cognitio creata, est imago objecti.* Sed ecce! hoc est, quod negant adversarij, & quod esset probandum, sed in argumento supponitur, & ulterius non probatur.

865. Probatur Conclusio melius, imprimis à paritate nostrarum potentiarum vitalium. Intellectus Angelicus est indifferens ad cognoscenda hæc potius quàm alia objecta, sicut est indifferens intellectus humanus. Atqui intellectus humanus indiget concursu objecti, propter indifferentiam indicatam, ob experientias manifestas, propterea nunc ex Philosophia supponimus: ergo etiam indiget intellectus Angelicus.

866. Probatur. 2. à priori. Cognitio habet intentionaliter illas perfectiones, quas objectum habet physice, & quas in objecto representat: ergo principium adequatum productivum cognitionum, debet illas perfectiones aliquo modo continere: ergo debet eas continere vel realiter, vel intentionaliter: atqui potentia intellectiva neutro modo continet omnes illas perfectiones, quas potest diversis in infinitum cognitionibus representare: ergo non potest esse principium adequatum cognitionis, sed opus habet concursu alterius principij continentis illas perfectiones: atqui hoc principium aliud esse non potest, quàm objectum, ergo. Assumptum patet, non enim continet Intellectus Angelicus representativè omnia objecta à se cognoscibilia, alioquin est formalis cognitio illorum; sed neque esset species impressa omnium objectorum: alioquin esset determinatus ad ea cognoscenda: denique non continet realiter, ut clarum est. ergo &c.

867. Di-

867. Dicendum. 2. Concurfus objecti cum intellectu Angelico, non semper præstatur immediatè ab objecto, sed ejus loco debet quantitas concurrens species impressa. Probat. Quia ex communi sententia Angelus cognoscit objecta loco distantia à se, habet etiam memoriam objectorum aliquando cognitorum: ad hujusmodi autem cognitiones non possunt concurrere objecta per seipsa: ergo opus est speciebus.

868. Contra hanc secundam Conclusionem obijci solet, quòd Scriptura aliquoties recenset Dæmonem circumire ad cognoscenda ea, quæ desiderat cognoscere; & sic dicitur considerasse Jobum: atqui non haberet causam circumcumbendi, si posset cognoscere objecta per species jam obtentas: ergo semper requiritur immediatus objecti concurfus.

869. P. Martinus Esparza existimat, huic argumento responderi posse, circumfessiones ejusmodi factas esse à Dæmone non ex indigentia notitiæ, sed ineptè ad libitum, prout pleraque alia facit ineptè. Non libenter vtor hac responsione. 1. Quia Scriptura refert, quòd dæmon interrogatus à Deo coram alijs Angelis, vnde venisset, responderit, se perambulasse terram: vix est autem credibile, quòd dæmon suam ineptiam & nugatoriam ambulationem coram alijs Angelis edixerit. 2. Quia etiam Boni Angeli dicuntur in Scriptura circumvisisse, ad considerandos mores hominum, vt Sodomitarum & Gomortheorum, vtique non ineptientes. Melius respondet idem Author, & communiter alij, Scripturam exponere modo humano, quòd gestum est modo Angelico, vt commodè percipiantur ab hominibus. Dicitur ergo Angelus perambulare terram cogitatione, currendo per singulas ejus partes succellivè, cum non possit omnia cognoscere simul, etiam si species habeat simul, vt dicitur. Responderi tamen potest magis ad sensum litteralem. 3. Angelos circumambulasse per motum localem, ad accipiendam novam notitiā occasione suarum operationum exercendarum in animis hominum, sive immediatè, sive mediantibus alijs corporibus, quas exercere non poterant in distans, sed debebant se applicare passo.

CONTROVERSIA II.

Virum Angelus cognoscat se, sibi que intrinsecè unita per speciem impressam.

870. Dicendum est. 1. Angelum cognoscere seipsum sine speciebus superadditis. Probat. Species intellectuales tunc solum necessariz sunt, quando vel objectum est absens, vel disproportionatum ad concurrendum cum potentia intellectiva ad sui cognitionem: neutra ratio locum habet in casu nostro: neque enim Angelus abesse potest à seipso, improprio etiam nulla est, sed potius proportio, quod probatur. An-

gelus est ad sui cognitionem proportionatus in esse intellectivi: ergo multò magis in esse intelligibili: nam ad hanc proportionem minus requiritur quàm ad priorem, quia plurima sunt apta cognosci, sed non apta cognoscere.

871. A secunda parte Conclusionis recedunt quidam Thomistæ, post Cajetanum, volentes, quòd ad cognitionem sui ipsius non concurrat ipsa substantia Angeli, sed ejus loco præbeat concursus objectivum potentia intellectiva, realiter distincta ab Angelo.

872. Obijciunt ergo solenne illud suum principium. Substantia non est immediatè operativa: ergo non potest concurrere objectivè. 2. Negando antecedens, ex duplici capite. Primum est, quia verius est, potentias vitales non distingui à substantia, prout asserui in libello de anima rationali. Secundum: quia etiam si distinguerentur, adhuc tamen fatendum esset, ipsam substantiam vnà cum potentia influere immediatè in actus vitales, prout ibidem ostensum est, & in tractatu de Merito fortassis iterum dicitur.

873. Dicendum. 2. Angelum cognoscere accidentia sibi vnita per immediatum eorumdem concursus. Est contra quosdam Thomistas, volentes ea solum cognosci in substantia Angeli, quando in illius virtute continentur. Probat. 1. quia sunt sufficienter præsentia, & non minus proportionata, quàm essent ipsæ species impressæ, si darentur.

874. Probat. 2. specialiter quoad actus intentionales quos habet Angelus. De his actibus Angelus vtique non habet minorem evidentiam, quàm habet homo; sed homo habet de illis dum existunt, evidentiam Metaphysicam, nempe experimentaliter ita de illis certificatur, vt nullo voluntatis imperio posset assensum de horum actuum existentia cohibere: ergo & Angelus habet. Subsumo: atqui ea quæ per species cognoscimus, non cognoscimus Metaphysica certitudine, sed tantum physicā: vt apud omnes certum est, & in philosophia probatur: ergo sicut nos nostros actus intentionales non cognoscimus per species, ita nec Angelus.

875. Confirmatur. Si Angelus (eadem ratio est de anima rationali) cognosceret suos actus præsentés vt præsentés per species, hæ species essent vtique productæ ab ipsis actibus: atqui actus nostri non possunt cognosci vt præsentés per species productas ab ipsis actibus: ergo non cognoscuntur per species. Minor probatur. Species quæ producuntur ab actibus, remanent cessante actu, & serviunt ad recordandum illorum actuum: ergo solum sunt aptæ ad repræsentandos actus vt præteritos: si enim repræsentarent vt præsentés, deciperent.

102 IHS 102

R 2

CON-